

diceret: Tu non poteris, quod isti, et istae? An vero isti, et istae in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas, et non stas? Projice te securus in eum, noli metuere, non se subtrahet, ut cadas. Projice te excurus, accipiet te, et sanabit te. Et erubesceram nimis, quia illarum nugarum murmur adhuc audiebam, et cunctabundus pendebam. Et rursus illa, quasi diceret: Obsurdesce adversus immunda illa membra tua super terram, ut mortificentur. Narrant tibi delectationes, sed non sicut lex Domini Dei tui. Ista controversia in corde meo, non nisi de me ipso adversus meipsum. At Alypius affixus lateri meo, inusitati motus mei exitum tacitus opperiebatur.

CAP. XII. VOCIS ADMONITU QUOMODO TOTUS CONVERSUS.

Ubi vero a fundo arcano alta consideratio contraxit, et congestit totam miseriam meam in conspectum cordis mei, oborta est procella ingens, ferens ingentem imbrem lacrimarum. Et ut totum effunderem cum vocibus suis, surrexi ab Alypio. Solitudo mihi ad negotium flendi aptior suggerabatur. Et secessi remotius, quam ut posset mihi onerosa esse etiam ejus praesentia. Sic tunc eram, et ille sentit nescio quid. Aliquid enim, puto, dixeram, in quo apparebat sonus vocis meae jam fletu gravidus, et sic surrexeram. Mansit ergo ille, ubi sedebamus, nimie stupens. Ego sub quadam fici arbore stravi me, nescio quomodo, et dimisi habenas lacrimis, et proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi: Et tu, Domine, usque quo? Usque quo, Domine, irasceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri, et jactabam voces miserabiles. Quamdiu, quamdiu? cras, et cras? Quare non modo, quare non hac hora finis turpitudinis meae? Dicebam haec, et flebam amarissima